

Tribunal Qualificatoris, ut dicitur, seu Censoris titulum & munus insigne tenuerit. Varias patriæ ditionis Ecclesias Parochiales industriè & sollicitè administravit, scilicet dictas de Tecuila, S. Joannis de los Llanos, Panotla, & Sacatenco, à quibus non modò notus fuit, sed verò etiam à litteris multo in pretio habitus. Reliquit scripta

*Fragmenta moralia quinque tomis divisa, in quarto.*

*Sermonum, quos in præcipuis dixit festivitibus, tomum unum in quarto.*

*Paradoxa politico moralia in folio, cui tamen libro non nulla decesse restis est D. Didacus Bermudez de Castro in Catalogo Scriptorum Angelopolitanorum n. 49. & penes se omnia quæ regulimus authographa esse, ibidem enuntiat.*

392 D. D. ANTONIUS DE SALDAÑA ET ORTEGA, Natione Mexicanus, Angelopoli natus, Antequera Goaxacensium floruit & Mexici. Latinitate doctus & Philosophiâ juxtaque Theologiâ, hujus in Universitate Mexicanensi Doctor inauguratus fuit, & inter primos ejusdem Facultatis Professores meritò ab eruditibus habitus. A prima ætate Antequeram se contulit, Episcopalem Sedem regente Illustrissimo D. D. Isidoro de Sarinana, Viro doctissimo, litteratorumque faventissimo Meconate, cui peracceptus fuit perque ita charus, ipsum

ut in Familiam asciverit, multis que cohonestaverit titulis, quòd ingenio sociatam doctrinam virtutemque in eo haud vulgarem animadverteret. A Secretis, item que à Sacris Confessionibus ipsum habuit, & Examinatorem Synodalem constituit, quibus alijs in dies accesserunt honores, cum pro egregiâ in dicendo ad animarum salutem faciendâ zeloque insigni, tum etiam pro cæteris animi dotibus & in sacris Theosophiæ aditis penetrandis solertiâ. Perillustre Collegium D. Bartholomei, quod ibidem magna sui nominis gloriâ jam pridem crexerat Illmùs. D. F. Bartholomeus de Ledesma, Dominicanus, Primariusque Universitatis Mexicæ Antecessor Theologiar, Rectoris munere administravit, Cathedramque Theologiæ vespertinam in Regio S. Crucis Seminario moderatus est discipulorum multo cum fructu, Sapientumque laude. Adhæc, periculo factò pro Sacerdotio, ut dicimus, Magistrali alios inter petitores, ritè & pro meritis institutus est ad sacras conciones, quibus strenuè & frequenter adornandis incubuit: inde Ecclesiasticas Dignitates Thesaurarij, Mesochori, & Archidiaconi adeptus, his eo usque muneribus usus exactè fuit, unâque Commissarium S. Inquisitionis Antequera pergit, donec in Ecclesiam Metropolitanam Mexicam translatus Ipectabilem se Urbi frequentissimè

simè dedit Præbendâ insignis & Canonicatû, longè tamen clarior doctrinâ, ob quam & à Quæstoribus Fidei Censor adlectus, & ab Archipræsule Synodalis Examinator creatus, à Sodalibus Academicis, & à doctis quibusque viris magni est ductus, interea se probitatis exemplar exhibens ad mortem usque, quam aspexit Angelopoli, ubi negotij vel rusticationis causâ devenerat. E multis à se scriptis sermonibus, plures equidem tomos impleturis, si jungerentur, edidit

*Orationem Funebrem in Exequijs ductis Clarissimo Doctori D. Petro de Otalora Carbajal, Archidiacono Antequerensi, &c. Angelopoli, litteris Didaci Fernandez de Leon 1692. in quarto. Extat tom. 32 Collectionis nostræ.*

*Concionem à se habitam in Dedicatione Templi à Sanguine Jesu Christi, Antequera conditi. Angelopoli, apud Didacum Fernandez de Leon 1692. in quarto.*

*Concionem Antequera dictam in Festo Apostolorum Principis Divi Petri. Angelopoli, ex Typographia Joannis de Villareal 1695. in quarto. Legitur tom. 20. Collect. nostræ.*

*Conciones duas, alteram in susceptione habitus religiosi, alteram in professione Sanctimonialis ad Monasterium Antequerense à Conceptione Mexici, typis Joannis Josephi de Guillena Carrascoso 1697. in quarto. Extant t. 11. dictæ Coll.*

*Concionem à se habitam in Fe-*

*sto pro Congregationis FF. Bethlehemitarum Hospitalitatis erectione. Mexici, formis D. Mariae de Ribera 1697. in quarto.*

*Concionem triumphalis Servatoris nostri ingressus in Jerusalem. Mexici, litteris de Carrascoso 1698. in quarto. Extat tom. 11. memoratæ Collect.*

*Concionem in solenni die Pentecostes Antequera dictam. Mexici, eisdem typis & anno, in quarto.*

*Concionem in Dedicatione Templi Augustiniani Antequera constructi. Mexici, apud mox dictam Typographiam 1699. in quarto.*

*Elogia Sacratissima Religionis Bethlehemitarum in Natali Jesu Christi Domini nostri. Mexici, è Domo Michaelis de Ribera 1708. in quarto. Legitur t. 11. dictæ Coll.*

*Necessitates Deiparentis in obitu Jesu Christi Domini nostri. Mexici, apud Carrascoso 1715. in quarto. Extat t. 16. ejusdem Collect.*

*Heroyum motivam pro sublevandis animabus expiatorias penas subeuntibus. Mexici, apud H. V. Michælis de Ribera 1718. in quarto. Legitur tom. 106. memoratæ Collect.*

*Panegyrim in honorem primæ Sacratissimæ Triados Persona. Mexici, typis Joannis de Ortega & Bonilla 1721. in quarto. Legitur tom. 11. dictæ Collect.*

*Theosophica, quæ è Cathedrâ tradidit, inveni præterimus Opuscula, quorum nos fugiunt nomina.*

393 F. ANTONIUS SANCHEZ,

Natione Mexicanus, Angelopolitatus, Clarissimo Prædicatorum Ordini, nuncupatis in patrio Conventu votis, se adjunxit, inde Mexicum dimissus, Pontificium à Porta-Cœli Collegium, quod insignis est Sanjacobeæ Provinciæ doctorum hominum Seminarium, pro studijs gerendis adivit, quibus non sine lucessu incubuit & plausu. Vertebarur interea annus 40 proximè elapsi seculi, & Procuratoribus Dominicæ SS. Rosarij Provinciæ apud Insulas Philippinas florentis, supplementum Religiosorum pro illâ sedulo agentibus, Antonius eorum albo nomen suum dedit, qui se navigationi accinxerant, commigrare que in Asiâ illam regionem ultrò decreverant. Eo appulsus anno 43. lacris initiandus, Pontificem aliquot annis opperens (nec enim id temporis ullus erat in Insulis) interea loci idiomati Pangasinano imbibendo se dedit, tam etiam, illo altè imbutus, Tagalanum sic ingenio & labore promptum sibi fecit & familiare, ut etiam ejusdem peritiâ eminerit. Sacerdos factus, curandæ Pangasinanæ genti institutus Minister est, cujus ne se eruditioni subduceret, nuntium ultrò remisit splendido Lectoris Philosophiæ titulo, quo ipsum Rectores Familiæ à litteris commendatum ornaverant. Animum zelo ductus & charitate, horrores petivit (sic enim dicunt alperos & dilitos montes,

in quos jam inde ab anno 61. apostata se Indi multi receperant) & ita suam illis improbitatem & æternum discrimen objecit, tamque comiter & humaniter eos tractavit, multas ut secum familias revocaret, Ecclesiæ que restitutas, ab anno 69. excollendas suscepit coactò ex illis Populo ad S. Hyacinthi Pangasinanum non longè sedente, cui à SS. Deigenitricis Sponso nomen indidit, propter eximiam, qua erat in Divum, pietatem, inque gratissimi animi significationem, vitam illi in acceptis referentis.

394. Scilicet anno 1645. Nostrò ad Manilæ Conventum degente, motâ vehementissime terra fuit, disjectoque, primâ fluctuatione, pariete, erat ad eò in confinibus ruina, ut, ni statim & citissime proripuisset se à cella, icone SS. Josephi munitus, jacuisset obrutus & sepultus grandi turris portione, qua illic atque ipse discesserat, cubiculum penitus depreffit ac deturbavit. Huic quo tenebatur adversus Josephum religioni, ceteram adjecit virtutem, humilitatem in primis, cui à teneris fuerat ad dictus, castitatem, paupertatem, & Dei amorem. Doctrinâ verò clarissimus divelli nunquam poterat à litteris, nisi ut orationi vacaret, aut alijs religiosi hominis exercitijs, & diligentissimi muneribus Parochi incuberet. Dilectus sub inde Deo, & ho-

hominibus charus, molesto ad extremum & diutino morbo patientissimè tolerato, sacris procuratus, è vivis excessit 7 Decembris anno 1674. ætatis 60. suo Fratribus desiderio relicto. Idiomate Pangasinano adornavit

*Versionem aliquot librorum.*

Et ejusdem Linguae pristino summâ diligentia addito, condidit

*Dictionarium Pangasinanum copiosissimum,*

Ut Author est qui ejus vitam scripsit P. F. Vincentius de Salazar Dominicanus, Rectorque Collegij à S. Thoma Manilensis, & ejusdem Cancellarius Universitatis, in tertia parte Historiæ Provinciæ SS. Rosarij Philippinarum, edita apud memoratum Collegium anno 1742. in folio. Antonij autem habentur acta pp. 54 & 55. lib. 1. cap. 11.

395. D. ANTONIUS DE SANTOYO, Natione Mexicanus, in Urbe ortus ab Angelis dicta, Parochiali titulo claruit apud Opidum nuncupatum Papantla ejusdem Diocesis, laudaturque ab Authore Allegationum pro Clero Angelopolitano excusarum tacitis loci & typographi nominibus magno volumine fol. 80. col. 2. ad calcem puncti 6 Allegationis secundæ, quod scripserit

*Catechismus ad Parochianos idiomate Toionaco.*

*Confessionarium ad eosdem eadem que Lingua.*

396. F. ANTONIUS DE SAZ, Natione Mexicanus, ortus apud Ciudad Real de Chiapa, unde Provincia nomen, suum ipse Franciscanorum à SS. JESU de Goatemala nuncupata dedit, in qua & Theologiæ laude enituit, & insigni Linguae gentis explicandæ scientiâ & docendæ. Hanc illi ad sociatam etiamnum Sodales ob oculos habent in Libris, quos Miss apud Bibliothecam Primarij Cœnobij sui Goatemalensis servant, ut ab eisdem accepimus. Sunt autem illi

*Enchiridion, præter alia, Conciones 14 lectoribus offerens, pro Sacramentis dispositas ministrandis, septem ita ut precedant adhortationes, & totidem administrationem sequantur.*

*Mariale, seu de Beatissima Deiparente sermonum tomus in quarto.*

*Sanctorale, seu Sermonum de Sanctis tomus alter in quarto.*

*Additiones ad usum frequentiore Linguæ Goatemalensium Artē, que copia una & splendore acceptior est & gravior discipulis.*

397. F. ANTONIUS DE SCOTO, Mexicanus, ut minimum, incolatu (nam de Natione hæremus & Patria) Ordinis Minorum de Oblervantia in Provincia S. Evangelij alumnus, Lector Sacræ Theologiæ Emeritus Pro-Ministerque ad Generalia Familiæ Scaphicæ Comiticia destinatus, Notarius Apostolicus, & apud S. Inquisitionis Tribunal, à languinis claritate Ministri familiaris titulo cohonestatus, à doctrinâ

verò Censor proprietarius ascitus, utraq̃ue Lingua, quæ sequuntur reliquit edita. Hispanâ

*Sermonem à se habitum in publicatione Edicti generalis S. Officij in Urbe Tacuba, Mexici, apud V. Bernardi Calderon 1699. in quarto.*

Latinâ: *Scutum Confessionis contra nefarios Sacerdotes in Sacramento Confessionis penitentes ad turpia provocantes, Mexici, apud Michaellem de Ribera 1703. in octavo.*

*Panegyrum eucharisticam pro nuper nato Lodovico I Hispaniarum Principe, Mexici, ex Typographia V. Michaelis de Ribera 1709. in quarto.*

*Concionem de Christi Crucifixi triborio in festo dolentissima Deiparentis, Mexici, typis H. V. Michaelis de Ribera 1715. in 4.*

398 F. ANTONIUS DE LA SERNA, Natione Hispanus, apud Cluniam Beturiæ natus, Parentibus Antonio de la Serna & Guzman, & D. Catharina de la Caballera nobilibus utiq̃ & claris, Domicilio, Studijs, Professione que Mexicanus, apud Antequeram primariam Goaxacensium Urbem juvenis confedit, Ordinis que Prædicatorum habitum in Cœnobio ejusdem Civitatis assumpsit, ac solennem Professionem emisit die 10 Julij anno 1575. Latinitate satis instructum Philosophiæ addiscendæ tradidere Prælati, moxque Theologiæ, in quæis tam evasit idoneus, Cathedralis ut regendis judicatus fuerit aptissimus, quamvis alia per-

gere jussus via, ei libens instituerit, Superioribus obsecundans in Zaapotecanorum idiomate, ipsorum ut eruditioni vacaret, industriè excolendo. Ubi annos aliquos prædicans, sacraque Indis administrans transegit, anno 1590 virtutibus cæterisque dotibus suis Moderatores Familiæ invitantibus ut Novitorium institutioni præficeretur, huic totus muneri incubuit, donec majoris operæ alia moliri pro Dei gloria cæpit Provinciæque suæ. Una quidem à S. Jacobo nuncupata Mexici jam diu florens, Cœnobijs etiam multis illis constabat, quæ apud Zaapotecanos & Goaxacenses condita fuerant; quod autem & eorum major esset numerus, quam ut faciliè ab uno regi capere posset, & nimis, pro negotijs occurrentibus, ab Urbe Mexicana distarent, ubi Provincialis sedet in primis, iustisque alijs de causis, meditata pridem divisio à PP. Goaxacensibus, alteriusque institutio Provinciæ Conventus Nationis illius complexuræ, nostro demandata est, quam ut felici omine aspiceretur, Apostolicis Clementis VIII Summi Pontificis, ut in Hispaniam trajicere posset, Litteris usus, à Provincia Vicario licentiam obtinuit, seque & alæ plenæ navigationi dedit, & salutatis Iberiæ litoribus, itinera majorem partem pedes arripuit in Hispaniam Italiamque, primùm Regis Ministros & Contestarium

visu-

visurus, propitiosque sibi facturus negotioque suo, mox Romæ sedenti admodum Reverendo Magistro Joanni Vincentio, qui vices Generalis Parris tenebat, adventus redditurus rationem sui, ejus ope & auxilio dextrum sibi faustumq̃ sydus pollicebatur.

399 Sanè, hominis eximia modestia, paupertas, & quæ se prodebat in facie, magis autem in verbis & moribus, virtus, facile ipsum ita commendarunt Vincentio, ut comitem volperit habueritque itineris, quod pro Familiæ Comitijs apud Venetos proximè cogendis anno 1529. eo tempore instituit. Eo ubi accessere, Magister Generalis benignissimè Nostrum suscepit, miratusque iphus Provinciæque suæ, ejus referebat specimen, gesta, quæ rogatus narrabat, & austeritatem, primævam Ordinis redolentem, temperare haud potuit à lachrymis. Nec minus gravissimis, qui ex multis Nationibus convenerant, Patribus se probavit, gaudentibus Indicas ab ipso historias accipere, eas verò in primis quæ Fidem Catholicam multâ adlociatam in vastissimis regionibus pietate ponebant ab oculos. Quod autem attinebat ad discendæ Provinciæ negotiû, postquam datis sibi scripto verboque documentis multis Præses id noverat, pro ejus gravitate, in plenum mox futurum confesum Ordinis reservavit, ut maturius & enucleatius à sapientif-

firmis & prudentissimis viris ex-penderetur. Cessit tandem auspica-to res illa Nostro, erectâ Goaxacensi Provinciâ à S. Hippolyto nuncupata.

400 Cæterum quamquam maturâ & ad juris normam exactissimâ discussione facta fuerit divisio, magnas deinceps passâ est difficultates, quas tamen prudentiâ laboreque incredibili Noster elusit. Siquidem dissolutis Veneriæ comitijs, Romam repetijt, ubi se Clementi VIII stitit, à quo gratijs & indultis dignatus, in Hispaniam regressus, anno 1595 vela dedit verus Americam unâ cum delecto pro novâ Provinciâ Priore, qui in primum designati statimque demortui locum successus fuerat, Magistro Alphonso Baylo quodam etiam Americæ indigenâ, vinctuque Religiosis ex Hispaniæ Provincijs in supplementum conquestis & datis. Ubi Portum omnes Mexicanum tenuere, excensu facto, morati nihil quo minus in suam se Provinciam reciperent, jactari tempestate ceperunt, ut in magnis persæpe negotijs & quæ multos concernunt homines, evenire frequenter solet. Noster id circo degere diu Anteqræ non potuit, zelo amorque Provinciæ suæ coactus iterum navigare, ut favientes procellas compesceret, & optatam socijs malaciam, laboribus quidem decumanis suis, conciliaret. Nec porro spe fra-

A2

stra-

stratus fuit, quòd eo in Europam tempore accesserit, quo translatis Valentiam Comitij Ordinis, quæ obinsperatam eluvionem celebrari non potuerant Hispani, pro qua Urbe famosissima indicta fuerant, Deffinitores à Goaxacensibus demandati gentilium causam suorum agere opportunum ducebant, quicquid illi supplicias è Curia ferebat, adornabat que viam regressuris, ut nullis in difficillimo itinere offendiculis prepedirentur.

401 Compositis itaque rebus è voto sententiæque suæ, se denuo Goaxaca restituit, quem non multo post, anno scilicet 1598 Sodales consentientibus suffragijs Provinciale sibi elegerunt, cum primum hoc ipsi jure uti licuit, absoluto scilicet quadriennio, pro quo Magister Vayllius Præsul datus fuerat à Generali. Magisterij in Theologia gradum pro tunc designato sibi capite ultro viri illi gravissimi postularunt, quo dein, anno 1600 ritè fuit auguratus. Antonius certè in amore & sollicitudine institutæ recens Provinciæ nulli secundus, secundo uti sydere ei ipse illucet adhuc nascenti, nullam non posuit curam, atque ut erat virtutibus, litteris, & prudentiâ conspicuus, Ordinationes, seu Acta, ut dicunt, capitularia accommodatissimas pro Regione constituit, in moresque induxit, eorum juxta & Constitutionum invigilans observantiâ, quæ Fami-

liam nimis reformatam deceret, perennaretque in annos, ut etiamnum cernitur florens. Paupertatem à se suisque, etiam Parochias ministrantibus, rigidissimam exigebat, vestium alperitatem, modestiamque insignem pro virili fovebat. Dei cultum, etiam in parvis Ecclesijs, quæ officij recitatione divini coram Divinissimo, quæ decentiâ & ornatu in cunctis ad sacra pertinentibus, assidue querebat. Non equitare suos, ni magna eos urgeret necessitas, non prætextu aut otio extra claustra vagari sinebat, aut quidquam à regulari moratissimæque disciplinâ exorbitans permittebat, omnibus se probitatis exemplar objiciens. Litteras ut excolerent juvenes, Lectores ingenio præditos & doctrinâ, cum in Philosophia, rumeriam in Theologia, & Scholastica & Morali, eis dedit egregios, gradibus, cæterisque Palæstræ honoribus non segniter excitatos. Alios, ad id officij natos, pro tradendis Indorum linguis designavit Magistros, quorum industria tyronum in ea parte institutionem commisit, qui docere gentes sacra deinceps possent, & Sacramenta tradere. Nec enim antiquius aliud habuit quam ut neophytorum saluti provideret & incolumitati, quos paternè complexus, elemosynis, omnibus que, ut potis erat, obsequijs prosequeretur.

402 Adhæc, ædificia in Cæ-

no-

nobijs aut instauravit, aut nova induxit, magno nascentis incremento Provinciæ, diligentius longè spirituales ejusdem progressus accurans; ratus que in illis exordijs, austerioribus oportere legibus uti, vindicabat latas acerrimè, ne subinde repiditas in agendis aliqua & laxioris usus irreperent. Ubi functus munere fuit, successorem pro futuro proximè quadriennio sibi procuravit strenuum, ipse annis licet gravatus, confectus que curis, suffragatoribus obsecundans, cupientibus quidem tertio ipsum in Europam mittere Deffinitorem Procuratoremque, non tamè audentibus arduum id officium illi palam injungere, spontè oblatas, brevi se itinere accinxit, atque anno 1603. navi in Portu Vera-Crucis conscensâ in Hispaniam se contulit, moxque in Italiam, paupertatis ubique cæteratumque virtutum odorem spargens, nec præter Deum alia intendens, quem, Provinciæ suæ quieti & bono proficiens, sibi proposuerat laborum metam. Florentiæ ad Conventum Ordinis à Novela dictum, nominibus multis insignem, febris correptus, substitit, religiosissimis Patribus omni ipsam charitate & sollicitudine prosequentibus. Quòd verò ingravesceret morbus, totius vitæ exomologesim apud Priorem instituit, multisque & eximia pietatis documentis ad alia

pro morituris Sacramenta suscipienda animum comparavit, queis præmunitus, spiritum Deo reddidit anno 1604. mense Martio; silentio verò diem præterimus, quem ab historiographo, cæterà diligentissimo, facile ob distantiam locorum tacitum observamus. Non ingrati certè à S. Hippolyto Provincia se exhibuit Antonio, cui & honorem Institutoris sui & suffragia crevit præter alia quidem, solenniori ritu concepta, ubi certior de ejus obitu facta fuit, ea item quæ in Actis Capituli Provincialis de anno 1608 & 1609. § Suffragia pro Defunctis, ita leguntur: Pro anima R. P. N. Magistri F. Antonij de la Serna hujus nostre Provinciæ Institutoris, quilibet Conventus & Domus unam Missam. Scripsit idiomate hispano

Multas ad Catholicum Regem ejusque Consilium Indiarum Epistolas pro Indorum commodis & incolumitate,

Ut Author est, qui ejus Acta diligenter tradidit M. Burgoa, ejusdem Provinciæ alumnus, in ejusdem Chronicis tom. 1. cui titulum tedit, Palæstra historica cap. 30. fol. 81. qui longiorem Nostri vitam à cap. 22 ad 32. exclusive, optantibus lectoribus dabit.

403 P. ANTONIUS SILVA, Natione Mexicanus, Patria Queretarensis, Congregationis Oratorij S. Philippi Nerij apud Vi-

Bbbb

llam

llam S. Michaelis Magni in Diocesi Michoacanensium florentis, tyronum Praefectum in praesentia agit, & ceteris Instituti ministerijs incumbit. Jam diu Philosophiam auditoribus multis & domesticis & extraneis è suggestu tradidit in Collegio à S. Francisco Salecio nuncupato, quod Catholici Regis nostri licentiâ erectum & Aedibus junctum Congregationis, ab Oratoricis regitur, prima litterarum rudimenta, Grammaticam, Rhetoricam, Philosophiam, Theologiam Moralem Scholasticamque docentibus, institutosque & formatos litteris juvenes in Universitatem Mexicam trahentibus laureis donandos pro ut Regis cautum est privilegio, & Magistratus Academici consensione receptum. Noster Scripsit

*Cursum Philosophia Mexicearum more Scholarum, cujus exemplaria à discipulis plura circumferuntur Mss.*

+ 404 P. ANTONIUS SIRIA, Natione Mexicanus, Patria Tlascalensis, Institutio Soc. JESU, in qua nuncupatis quatuor Deo votis esulit, cum ab exultis optime litteris insignis, tum etiam à religiosis moribus clarus fuit. Philosophiam postquam in publica palaestra discipulis multis tradiderat, Theologiam Goatemalae professus est in Collegio Familiae suae, quod Primaria inter jure censetur Ordinis Athenae. Nec verò ab scholasticâ tantum com-

mendandus eruditione, verum à Christianâ etiam oratoriâ, qua polluit, ut subinde Sodalitij, quod ab Anunciata Deiparente dicitur estque admodum clarum, Praefectus, per singulas hebdomades dixerit è factu suggestu, suorum in spiritu filiorum progressibus, ut oportet, intentus. Edidit vernaculo sermone

*Admirabilem vitam insignesque virtutes V. Dei Ancilla D. Anne Guerra à Jesu.* Goatemalae, typis Baccalaurei Antonij de Velasco 1716. in quarto. Vidimus Librum in Bibliotheca Domus Professae Mexicanae. Quamvis verò ejusdem Mss Authoris, de quibus nulli dubitamus, & Mexici quaesierimus, & ut Goatemalae petquerentur Amicos rogaverimus, illa tamen adhuc nos fugiunt, id scientes, scripsisse,

*Summulas, Logicam, Physicam, Metaphysicam, Animasticam, ceteraque integrum Philosophiae Cursum ad Aristotelicum ritum componentia.*

Præterea, *Varias Theologicas Tractationes, & Sermones hispanos.*

+ 405 D. ANTONIUS DE OSSA, Natione Mexicanus, Patria Habanensis, apud perillustre S. Raymundi Nonnati Mexicanum Collegium Togatus, utriusque sedulam juri dedit operam in Universitate Mexicanensi. Tum in ejusdem Urbis Auditorio Regio Patronus causarum destinatus, simili item munere conspicuus fuit in Goadalaxarensi Conventu Juridico, mox etiam penes augustum

Hispaniolæ Senatuum. Adhæc, Consultoris partes Apostolici Tribunalis S. Inquisitionis Carthagine Indiarum explevit, cujus etiam Commissarij tenuit honorem. Parochus Civitatis à Trinitate Cubæ cum esset, edidit idiomate hispano.

*Panegyrim in gratiarum actione D. O. M. ab eadem Urbe solenniter instituta pro matrimonio junctis Hispania & Lusitanæ Principibus.* Mexici, litteris Josephi Bernardi de Hogal 1729. in quarto. Extat tom. 87 Collect. nost.

+ 406 D. ANTONIUS TAMARIS DE CARMONA, quem sumptâ à cognomine debilissimâ conjecturâ, Carmonensem Patria suspicatur D. Nicolaus Antonius in Bibliotheca Hispaniæ Nova tom. 1. pag. 128. an America, an alibi cunabula fuerit sortitus nos latet, scientes Mexicanum Domicilio, ut minimum, fuisse, Parochumque in Diocesi Tlascalensi Oppidi de Teziuntlam, hominemque apud Angelopolitanos non flocci ductum, ut qui tot inter in frequentissimâ Urbe florentes litteris viros destinatus fuerit Scriptor haud inelegantis Opusculi, quod materno conscriptum idiomate, prelo commissum est hoc nomine:

*Enarratio Descriptioque Regij Angelopolitani apud Novam Hispaniam Templi, seu Cathedralis.* Angelopoli 1649. in quarto.

+ 407 D. ANTONIUS TERAN DE LA TORRE, Mexicanus for-

san Natione (nam de hac, Patriâque nil compertum habemus) certè Domicilio, edidit numeris hispanicis, quos Romance dicimus valgo,

*Faustum regredientis in Sanctuarium suum ab Urbe Mexico Imaginis Virginis Deiparentis à Remedijs nuncupata, iter solennissimâ frequentens pompâ.* Mexici, ex Officina Viduæ Bernardi Calderon 1653. in quarto.

+ 408 D. D. ANTONIUS DE TERREROS ET OCHOA, Natione juxta Mexicanus & Patria, genitoribus editus nobilissimis, Magisterij in Philosophia gradum, dein Doctoralem Jurisprudentiæ pileum in Universitate nostra, doctissimis suffragantibus Academicis, tenuit. Nec solum theoreticis ad palastram spectantibus exercitationibus clarus, practicas etiam, quæ Forum concernunt, causas magna sui existimatione tractavit, sive Patronum egerit, sive apud Triumviros Criminalibus negotijs præpositos Relatorem, sive demum Togatum Judicem, quamvis postremo huic incumbens muneri novercantem passus fuerit fortunam, invidorum, ut sit, calumnijs petitus. Plura inter, queis frui nobis in desiderio hætenus est, Scripta ejus ad juris provinciam attinentia, numeramus typis datam materno sermone

*Allegationem pro sui, conjugisque ad primigenia bona, Majoratum dicimus, jure.* Mexici, typis Franc-

cisci de Ribera Calderon 1710. in folio. Habetur tom. 19 Collectionis Mendozianæ.

† 409 P. ANTONIUS TERRE-ROS ET OCHOA, Natione Mexicanus & Patria, memorati proximè Doctoris ex legitimo thoro filius, præcoci donatus ingenio, & Latinis ac Philosophicis ornamentis laureaque Academicâ in tenerâ effulsit ætate. Mox ubi per annos licuit, Societati JESU se dedit, in qua majoribus ita studijs incubuit moribusque probatus evasit, quatuor ut religari votis meruerit, gradumque subinde præcipuum in Familia merito reportaverit. Grammaticam postquam tradiderat, & Rhetoricam in Collegio Maximo Mexicano professus fuerat, Moderator institutus Cathedræ Philosophiæ, huic triennio auditoribus expendendæ incubuit, & alijs subinde professionis suæ ministerijs. Ejus extat in Libro hujus argumenti annua Opuscula complectente apud Bibliothecam Collegij Maximi,

*Certamen poeticum pro Christi Jesu natali colendo, dato vatibus Symbolo Agni.* Anno Domini 1738. Scripsit etiam

*Cursum Philosophicum*, cujus exemplaria multa sunt apud discipulos ejus oportet.

410 F. ANTONIUS DE TORRIZES ET CANO, Natione Mexicanus, Mexici editus est præclaris nobilitate stirpis Parentibus. Instituta S. Francisci in Pro-

vincia S. Evangelij professus à juventute, claros inter Magistros accenseri merito debet. Exactis pro Philosophiâ & Theologiâ tradendâ quindecim, ut minimum, annis, Lector Emeritus, Studijs suorum & multis præfuit familiæ Cœnobijs. Visitatoris munere in Zacatecanorum Provinciam Ordinis sui dimissus, Comitijs ejus Præses adfuit, cæteraque officij exactè peregit: quo etiam titulo apud Provinciam Guadalaxarensis seu de Xalisco, pro qua lustrada destinatus fuerat ab admodum R. P. Commissario Generali novæ Hispaniæ, ritè perfunctus est. Terræ S. Commissarius & ipse, ut dicitur, institutus, pietissimo muneri strenuam ex animo operam posuit, qua oblatas à Fidelibus elemosynas pro sacrorum Palestinæ locorum cultu, in Assessoris nostri Jesu gloriam & custodiri & collocari opportunè curavit. A Quæstoribus Fidei Censoribus Theologis fuit adscriptus. Doctrinæ, qua pollebat, egregiè, mores religioso dignos viro lociavit, his ad senectam usque intentus, quæ Sodalium etiam eruditioni in familiari consuetudine profutura erant, & pietati omniique virtute fovendæ, cum in se, tum in extraneis quoque, quibus aderat in salutis negotio ducendis. Captus luminibus alijsque egritudinis vexatus molestijs, quæ patienti animo devorabat, ad extre-

num sacris procuratus excessit die 5 Aprilis anno 1749. Scripsit

*Philosophiæ Cursum ad mentem subtilissimi Doctoris Scoti.*

*Tractatus ad Scholasticam Spectantes Theologiam*, quorum titulos reticemus, quod legere Codices non licuerit, nec aliunde venari. Extrabunt apud Sodales Mss. Ut & multa, quas habuit, Concioner, è quibus quas scimus aliquot implendis tomis sufficiunt.

411 M. FR. ANTONIUS DE TORRES, Natione Mexicanus, apud Goaxacenses ortus in Provincia dicta Misteca alta, Oppido autem Teposcolula, Ordinis Prædicatorum Instituta percipiens, ejusdem habitu in magno Antequerensi Conventu donatus, solemnem emisit Professionem 6. Januarij 1679. Emensis studio-rum curriculum, eos in Philosophiâ & Theologiâ retulit fructus, quibus dignum se præstitit, ut procedente tempore, & Sacerdos effectus, doctos inter Sodales scholastico facto concursu pro Artium regendâ Cathedrâ, huic, victor ipse fuerit præfectus. Ubi cursum auspiciato peregerat Philosophiæ, sacra doctrinæ tradendæ applicitus, Magisterij tandem lauream suapte jure promeruit & tenuit. Ecclesiastico natus suggestu, quod eruditione multa & voce ad dicendum sonora, plena, insimulque suavi præditus esset, cui pronunciationem sociabar optimam, opportunamque gra-

vitatem; Ecclesiastem egit insignem & concionibus spectabilem. A Provinciâ suâ Procurator Generalis in Hispaniæ Curiam dimissus, & pro Romana Definitor iidem institutus, æquorile commisit anno 1707 tandiuque constitit Mantuæ Carpentanorum expediendis traditis sibi rebus, quo usque Bononiam quæ-rere opus ei fuit anno Jubilei 1725 indictis ibidem Ordinis Comitijs pro sufficiendo Generali Magistro, nuper Romanâ Purpurâ convestito spectatissimo viro P. Augustino Pipia. Provinciæ suæ nomine interfuit amplissimo Confessui cum jure suffragij, electumque undique insignem virum P. Thomam Ripoll sequutus est Romam, unde missus ad Goaxacenses suos, Reliquis sacris alijsque religiosis cimelijs, egregium quod Antequeræ in Primario Dominicanorum Cœnobio niter Sacellum Virginis Matris sub titulo Rosarij Deo nuncupatum, ornatus longe reddidit atque pulchrius. Ut verò quod augusta famosissimum est structura, picturis, multisque ornamentis perrarum, venustate quoque Virginei Simulacri eminet, curis suis in Urbe Magistrj Generalis adjici umbram & favorem sategit, ut operâ egregij nominis apud Italos sculptoris Imago Deiparentis tam pulchra ad stuporemque elaborata prodiret, quam quæ maxime, atque eâ in præsentiarum Goaxa-

centes potiuntur. Levatus, quæ ipsum Romæ vexaverat, egritudine, Matritum se restituit auctum honoribus, quos, postulante Provinciâ suâ, Generalis Magister in eum contulerat, Patris scilicet, perinde quasi Provincialis munere functus fuisset. Porro, majores, quibus dignum se præstiterat, titulos mors interceptit, quæ ipsum occupavit Matriti anno 1728. Ex his, quas publici juris fecit Orationibus sacris hispano sermone, duas à novis vifas subnectimus. Alteram

*De SS. Parentibus Francisco & Dominico charitate sociatis, cum duobus Ecclesie labijs.* Angelopoli, apud Didacum Fernandez de Leon 1695. in quarto. Alteram

*De Gloriosissimo Ecclesie Doctore Angeloque Scholarum Divo Thoma Aquinate, Inclayta Societati JESU nuncupatam,* quod nullum non elogium, è multis quæ Oratio ipsa complectitur, à Doctoribus Jesuitis S. Thomam deprædicantibus firmatum habebatur, qui sanè Primaria Familix suæ lumina Eximium Suarez, Molinam, Valentiam, Vasquez alia que imitati magna nomina, vel illustribus Angelici Summam cometarys adornarunt egregie, vel ejusdem acta immortalibus extulerè præconijs. Angelopoli, Formis Joannis de Villareal 1695, in quarto. Extat t. 105. Coll. nostra.

His annectenda veniunt inedita, scilicet, quem au-

ditoribus suis è Cathedra dictavit.

*Philosophia Cursum ad S. Thomæ mentem elaboratum. Itemque Theologicos varios Tractatus,* quorum ideo titulos reticemus, quod ipsorum ad nos indicem omiserint, qui gesta Viri aliorumque humanissimè nobiscum communicarunt.

412 F. ANTONIUS A TRINITATE, Natione, nisi fallimur, Mexicanus, forteque Patria, Ordinis S. Francisci in Provinciâ S. Evangelij Mexicana alumnus nequaquam obscurus, Concionator fuit cum primis insignis, cujus subinde elogia minimè vulgaris Censuræ suæ vir emunctæ naris, oratoriæque facultatis nemini sua ætate in America nostra secundus, D. Petrus de Avedaño lubens inseruit. Noster ingenij sui & eruditionis monumenta reliquit edita idiome latino hispano sequentia.

*Concionem de Seraphico Parente Francisco.* Mexici, typis D. Mariæ de Benavides 1687. in quarto. Habetur tom. 74. collectarum à nobis.

*Concionem habitam in Dedicacione Templi S. Michaelis de Chapultepec.* Mexici, ex Typographia Viduæ Bernardi Calderon 1688. in quarto. Extat inter collectas à Canonico Guadalupense Doctore Sopena.

*Concionem de Immaculata Dei parentis Virginis Conceptione ad Mexicanos Doctores dicta.* Mexici, formis

mis D. Mariæ de Benavides 1691. in quarto. Habetur t. 75. Collectionis nostræ.

Hujus, quam postremò retulimus, Orationis meminit F. Joannes à S. Antonio in Bibliothecâ Franciscanâ tom. 1. pag. 133. dubius hærens an ipsa Antonij à Trinitate Lusitanæ Provinciæ S. Thomæ apud Orientis Indos factus sit, an alterius eodem nomine donati & cognomine. Duos tamen Authores hos fuisse tam inter se distitos quantum Ortus ab Occidente distat, in ancipiti deinceps non erit, quod & semifeculo fere Lusitani Panegyris, quam ibidem recenset Joannes à S. Antonio, Mexicani concionem præscribit; & Nostrum alteras nunquam Indias aspexisse compertum habeamus.

413 D. ANTONIUS DE TOVAR MOCTEZUMA, Natione Mexicanus, an Patria etiam nescimus, Præbyter Secularis, Cathedram pro Mexicanâ Linguâ docendâ in Universitate nostrâ tenuit anno 1662. periculo facto cum strenuis ejusdem Idiomatis professoribus, tradiditque è suggestu Grammaticam Mexicanam.

Ejus memor est Plaza in Chronico. Academicis lib. 5. cap. 3. n. 52. 414 M. F. ANTONIUS VALDES, Natione, ut credimus, Mexicanus, Goatemalensis Patria, Regij & Militaris Ordinis Beatissimæ Virginis Mercedensis in Provinciâ quæ Goathemalæ jam

pridem floret multa cum laude, Magisterij decoratus insulâ, superiori proximè vixit seculo, circum annum vicessimum octavum ejusdem, scripsit

*Tractatum de Divina Trinitate, Tractatum de Electione.*

Quos in Bibliothecâ Primarij ejusdem Familix Cœnobij asseruari testes sunt qui regionis illius monumenta litteraria epistolis nobis exposuere Amici veritate juxta & eruditione præclari.

415 F. ANTONIUS DE VALDIVIA, Natione Mexicanus, Angelopoli ortus, Urbe Clarissima, Observantibus Franciscanis Provinciæ S. Evangelij religiosus se junxit votis, apprimèque litteris institutus, primas in dicendo partes quandoque tenuit in patrio Conventu præcipuo, ejus extat facundia pars suæ,

*Concio in Publicatione Bullæ S. Cruciatæ Angelopoli dicta,* ibidem que impressa typis Didaci Fernandez de Leon 1692. in quarto. Extat tom. 100. Coll. nostræ. Meminit ejus, errato, ut facile in his collectionibus accidit, nomine, interque Bernardos adscripto P. Joannes à S. Antonio in Bibliothecâ Franciscanâ tom. 1. pag. 220.

416 D. ANTONIUS VALERIANUS, Natione Mexicanus, incunabula sortitus est apud Azcapuzalcum, Urbem quondam omnium nostræ America celeberrimam, tandiuque Primam, quandiu vagiantes, qui nuper

Mexicum innatantem amplissimo laeu condiderant hospites, Navatlasas dicimus, ab Aquilone ante 80 annos egressi, adolefcere ceperunt, roboreque tanto & viribus superbit, ut circum vallantes Mexicanam Paludem Reges, multo singulos milite, commeatu, & opibus potentissimos, repetito bello confregerint subjugaverintque, atque ab hoc etiam tributa obsequiaque plurima habuerint Azcapuzalcano Monarcha, cui non ita pridem similia ipsi penderant. Parentibus Noster usus est Indis Imperatorum Mexicanensium sanguine rubescens, qui subinde stirpe, avitis que imaginibus nulli concesserint, uti suis inseruere Libris nostrates, porissimum Bezerta Tanco & Adame locis inferius adducendis à nobis. Eo natus est tempore, quo primum res non modo Christiana, sed verò etiam politica & litteraria altius radices agere Mexici inceperat, silentibus videlicet Martis lituis & Bellonæ fragoribus, quæ Minervæ & Mercurij citharæ suavissimique cantus successerant.

417 Insonuere primum in ea Urbis parte, quæ Tlatelolco audit, erecto ibi Collegio, quod à S. Cruce nomen habuit illustre, in quo sub egregijs è Franciscanorum Ordine Magistris, nec eruditione minus quam probitate claris, litteris instituti sunt Indi plures, cum in Latinitate & Rhetoricâ Musicâque, tum etiam

in Philosophiâ. Hujuscæ Musæi Author habetur amplissimus vir, Americæ bono natus, cujus extant immortalis monumenta nominis plurimâ, Mexicanus Pro-Rex D. Antonius de Mendoza, qui proprijs illud sumptibus condidit, cujusque in officio successor, multis & ipse de Patria benemeritis nostrâ, D. Ludovicus de Velasco, hujus nominis primus, rusticis prædijs quæ Collegio Fundator attribuerat pro dote, ducentos annuatim persolvendos aureos adjecit Caroli V. jussu Cæsaris, reditasque alios ad tempus, de quibus Vasco à Puga in Schedulario suo fol. 187, ut merito Imperiale audierit Athenæum illud, quod Imperatoris aurâ blandiente, cum Nobilium Indorum & Toparcharum institutioni, tum etiam Imperiali insignium semine, fastis destinatum avibus fuerat.

418 Hos inter Valerianus noster, secundus nulli, decoratus trabeâ, ornamento & Nationi & Collegio & Americæ fuit haud quaquam vulgari. Tria ita calluit idiomata, Mexicanum, Hispanum, Latinum, multas ut inde laudes à gravissimis Viris retulerit. Nam, quod ad maternum spectat, discipulum nactus est Magistrum doctissimum F. Joannem de Torquemada, uti is ipse fateatur, gloria duccens, Valeriano nostro quidquid facundia & eruditionis habuit Mexicæ habuit verò prægrandes ea in par-

te

tè gazas Cresus certè noster & Midas) in acceptis referre, à quo nimirum & loquendi scribendique Mexicanæ peritiam hausit, & quæ negotium facilerat, OEdipumque requirebat. Scientiam Annalium Monumentorumque gentis cæterorum, quæ caracteribus inscripta & imaginibus multo prisca ingenio facta referentibus, egregio ipsi fuerit usui pro Indicâ sua Monarchiâ condendâ. Profecisse item se multum à Nostro, grata animi significatione testatur Fr. Joannes Baptista Mexicanus, Magister & ipse Clarissimi P. Torquemada in Philosophiâ Theologiâque, gestis unâ ac libris editis cum primis eximius, Valerianum in arduis consulens, & potissimum in ethimologia nominum significationeque ad Sacra facientium, ut de his Mexicano sermone multa conferberet perutilia, quæ hodieque à Parochis cæterisque Ministris in prærio habentur.

419 Hispano autem sermone clarum etiam fuisse Nostrum monitos voluit posteros Bezerra Tanco (qui multis erat divo Linguis Occidentis nostri Orientisque, & veterum Historijs Mexicanorum, si quis ullus, scitissimus) Latini porro gloria sermonis tantâ Valerianus inclaruit, quantam Historiographi ejus extollunt, non veriti latinioribus ipsum & elegantioribus comparare, extempore etiam loquentem, & in ultima senectute, quod

jure miratus Fr. Joannes Baptista in Proæmio mox indicandi libri præmonuit. Rhetorices peritissimus quoque collatitiâ suffragatione ab his qui ejus indicarunt acta, appellatur, nec minoris faciendum in Logicis & Philosophicis controversijs idem compertum habent. Sanè, eximios ejus in litteris progressus conjectare fas est, quod à Collegij moderatoribus, sodalium constitutus fuerit Magister, quorum Latinitate & Rhetoricâ imbuendorum curam suscepit, egregijs, à quibus ipse fuerat doctus, Magistris in Cathedra susceptus. Adhæc, prudentiâ cæterisque ad negotia peragendum conspicuus dotibus, multi à Pro-Regibus, Principibus viris, & gravissimis omnibus factus, ipsum quoque Catholicum Regem æstimatorem meruit, cujus dignatus Epistolâ fuit honoris adversus ipsum plenâ.

420 Cum autem, jam inde ab Hispanici in America Imperij exordio prudentissimè cautum fuerit, ut præter supremos Magistratus & Judices dicendo Hispanis destinatos & Indis juri, pro ijs postremis Ordinarij gentilesque eligerentur Prætores, Mexici quidem duo, quorum alter ei Urbis parti, quæ Tenuchtilan dicitur, ei alter provideret, quæ Tlatelolco audit, Noster prima quam nominavimus præfectus regioni toros 35 annos, seu, quod alij scribunt, 40° invigila-

Dddd

vit,